



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sectio I. Síntne de facto in universo Angeli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXVII.

De Angelorum Existētia.



DVP LICITER à nobis considerari potest Deus, ut trinus scilicet & ut unus: ut trinus ad intra, ut unus ad extra; ut trinus ab eterno, & necessario, ut unus liberè & in tempore; ut trinus sibi, ut unus nobis operatur. Cùm ergo ea quæ ad illum ut trinum, atque ad intra operantem pertinent, proximè postis disputationibus discussimus, operationes ejus ad extra nunc perpendenda, & tum Dei in agendo modus ac ratio, tum rerum ab illo creatarum ordo, dignitas, & præstantia, contemplanda, ut ex horum consideratione, Creatoris Excellentia clariùs nobis innotescat.

Cùm verò ea quæ à S. Thoma proximis post Trinitatem questionibus usque ad tractatum de Angelis disputantur, sint philosophica, & à nobis fusè in philosophiâ discussa, ulteriori circa ea disquisitioni hic non in morabor, sed ad Angelos, primum Dei opus, & in quo dignitas ejus ac præstantia maximè elucet procedam, præfixæque mihi brevitatis memor, ea quæ ad illorum naturam ac proprietatem investigationem spectant, quantum per rerum gravitatem, varietatem ac copiam licet, quàm possum paucissimis perstringam.

SECTIO PRIMA.

Sintne de facto in universo Angeli.

I.
Fide certum est dari in universo, Angelos.



DARI Angelos, creaturas scilicet quasdam, ab iis quas oculis, aliòve sensu percipimus, distinctas, fide certum est; de iis etenim non semel ita apertè loquuntur sacre Literæ, ut salvâ earum auctoritate, de hujusmodi spirituum existētiâ dubitare nullus queat. Soli rem hanc in controversiam revocant Athei, qui cùm Deum negent, consequenter negant Angelos; homines quippe carni penitus immersi, & quibus tota ratio credendi est consuetudo videndi, nil in mundo aliud præter hominem resque hæc corporeas, quæ sensibus percipiuntur admittunt. Hunc eundem errorem habuisse Saducaei dicuntur Actor. 23. vers. 8. qui nec Angelum nec spiritum esse ibidem affirmasse asserunt.

Quinam negaverint Angelos existere.

II.
Ratione naturali agere ostenditur dari Angelos.

Multa sunt possibilia, quæ tamen de facto non existunt.

Ut verò hæc assertio ratione naturali probetur, non parum est difficile. Probabilis ad veritatem ostendendam & tantùm probabilis est ratio, quæ ad hoc intentum utitur S. Thomas 1. parte, quæst. 50. art. 1. qui istud refudit in pulchritudinem Universi: quam ratiocinationem fusè deducit, optimèque declarat Suarez disp. 30. Metaph. sect. 1. num. 5. & sequentibus: Hæc inquam, argumentatio, quamvis probabilis, non tamen convincit; multa siquidem, ut in philosophiâ latius ostendi, sunt possibilia, & si existerent, multùm ad Universi splendorem ac pulchritudinem conferrent, ut series creaturarum quæ posset agere in distans, materia specie à nostra distincta, cor-

pus simplex materia spiritalis, & id genus alia, quæ tamen non est certum de facto existere.

Præcipua itaque existētiæ Angelorum probatio à ratione, ut rectè Suarez lib. 1. de Angelis, cap. 1. num. 7. Valquez tomo 2. in 1. partem, disp. 178. & alii, ex eo defumitur quòd ipsi etiam Gentiles pro comperto habuerint esse res aliquas, seu substantias invisibiles, quas hominibus superiores esse agnoscebant, eas quippe in rebus dubiis consulebant, oracula ab iis petebant, exposcebant beneficia, nocumenta deprecabantur, & alia hujusmodi, quæ ignorat nullus qui antiquitatem novit.

III.

Vnde præcipue ostenditur dari Angelos.

Imò etiam hodie mirros in obsessis à dæmonibus effectus cernimus, rudes siquidem homines & ignari, subito linguis variis loquuntur, idque immoto interdum organo præstant, imbecilles, catenas etiam fortissimas nullo negotio dirumpunt: Sagæ in loca etiam remotissima brevissimo tempore per aërem devehuntur; miri item ab iis effectus sunt parvis quibusdam rebus admotis; aut verbis pauculis prolatis, vel etiam signis adhibitis, quos tamen effectus non verborum tantùm illorum aut signorum, sed substantiæ etiam cujusvis corporeæ vim excedere certum est.

IV.

Ex energumenis ostenditur dari hujusmodi spirituales substantias.

Præterea virgæ illæ Magorum in serpentes, vel apparetur, ex eo scilicet quòd subito & imperceptibiliter remotis ope dæmonum virgis, earum loco serpentes sufficerentur, vel verè conversæ: dæmones namque ut declarat latius Suarez Disp. 35. Metaph. sect. 6. num. 19. activa passivis summâ celeritate applicando, & ex peritiâ quam habent in stellis, varios astrorum aspectus & influxus observantes, omnia ad hujusmodi rei generati-

V.

Idem probatur Magorum virgæ subito in serpentes versa.

generacionem necessaria quam citissime applicant, eamque momento producant.

Ad hæc dici posset prædictos effectus refundi posse in Deum. Sed contra: ad causam namque primam circa rei alicujus productionem nunquam est recurrendum, nisi ubi constat nullam existere secundam, quo rem illam efficiat. Adde, ex actionibus hisce multas, & flagitiosas esse, & in odium Dei & injuriam factas, quarum proinde auctor esse non potest Deus.

Existimo tamen non esse certum effectus illos omnes in animas hominum separatas refundi non posse, utpote quæ, ut intelligendi, ita & corpora movendi virtutem habent multò magis expeditam, quam dum moli corporeæ & corruptibili erant alligata: quare hoc argumentum; quamvis sit probabile, existimo tamen Angelorum existentiam per illud non convinci.

SECTIO SECUNDA.

Alia existentia Angelorum probationes.

VI. *Deo tribui nequeunt prædicti effectus.*

VII. *Probabile est effectus illos refundi posse in animas hominum separatas.*

I. *Ex motu cælestium non est certum dari intelligentias eorum motrices.*

Cælorum motus potest fieri à Deo immediatè.

mem hanc cæli motionem de facto fieri ab intelligentiis, hoc tamen non est evidens, ac proinde nec certum inde deduci argumentum ad existentiam Angelorum demonstrandam.

Nullà ergo ratione naturali ut rectè Valentia I. p. Disp. 4. q. 1. punct. 1. Meratius, Tannerus hic Disp. 5. q. 1. dub. 1. num. 6. & 9. & Arriaga tom. 2. in 1. p. Disp. 1. sect. 1. num. 5. & alii, probari efficaciter potest dari Angelos, sed existentia eorum probatio ex Scripturis est defumenda. Psalmo itaque 8. v. 6. de Christo dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*; naturà scilicet & perfectionibus ad eam spectantibus: in gratiâ enim & gloriâ, donisque supernaturalibus haud paulò fuit Angelis superior. Secundo etiam Regum, cap. 14. v. 20. ad Davidis Sapientiam exaggerandam dictum est: *Tu Domine mi Rex sapiens vobis ut vultes sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Matth. item 22. v. 30. dicit Christus. *In Resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei:* & cap. 18. v. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Idem docent Sancti Patres, ut optimè ostendit P. Stephanus à Bubalis, in Commen. de Angelis. q. 5. art. 1.

II

Ostenditur esse Angelos tum ex natura tum ex virtute Testamento.

III

Quadam circa Angelos sanctorum Patrum doctrina explicatur.

Quo sensu Anima sit Angelus probatur.

TERTIA existentia Angelorum probatio ex sphaerarum cælestium motione desumi solet, utpote per quam Aristoteles in Angelorum, seu Intelligentiarum, ut loquitur, cognitionem devenit. Hæc tamen probatio non est efficax: ut enim Platonis, & aliorum quorundam ex antiquis opinionem vel potiùs somnium omittam, qui cælum aiebant esse animatum: ut omittam etiam eos qui hunc Cæli motum esse dicunt ab intrinseco, sphaerasque hæc cælestes ex innato appetitu suum mundo sublunari influxum communicandi, à propriâ formâ circumagi, & moveri circulariter: hæc inquam ut omittam, quidni dicere quis posset quod affirmat Lessius de perfectionibus divinis, lib. II. cap. 8. hunc Cælorum motum immediatè à solo Deo procedere. Sanè quamvis existi-

Ad quorundam tamen Patrum, S. Augustini præcipuè & S. Bernardi explicationem, qui interdum asserunt, animâ rationali nil Deo esse propinquius, interdum substantiam Angelicam esse animæ hominis parem, nihil animâ esse melius præter Deum, & similia: ad horum inquam intelligentiam notandum ipsismet S. Augustinum ex his quædam retractasse: unde lib. I. retract. cap. 26. sic habet. *Vbi dixi, quod omni animâ est melius, id Deum dicimus, magis dici debuit omni creato spiritu melius.* Intelligi etiam hæc possunt, quòd anima sit par Angelo in gradu substantiæ Intellectualis generatim sumpto; vel in donis gratiæ: multi enim homines multis Angelis sunt in gratiâ & gloriâ æquales, aliqui omnibus superiores; quod de Christo certissimum est, nec dubitari potest de Virgine.

DISPUTATIO LXVIII.

De spiritualitate & simplicitate Angelorum.

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur quedam de loco, & tempore creationis Angelorum.

I. *Non sunt ante mundum in aliquo præsentati.*



EXISTUNT itaque, ut Disp. præcedente ostensum est, substantiæ quedam spirituales, homine perfectiores, quas Angelos vocamus. Eos tamen ab æterno non fuisse creatos, tanquam fide certum tenent hodie Theologi omnes cum S. Thoma hic, q. 61. art. 2. Proverbiorum siquidem 8. v. 22. ex personâ sapientia genita dicitur, *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret, à principio, &c.* Idem definitum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, hebeturque cap. firmiter de summa Trinitate.

Imò non longo aliquo ante mundum corporeum tempore, ut Patres quidam Græci volunt, sed unâ cum eo sunt producti, ut docet S. Thomas, q. illâ 61. cit. art. 3. corpore, cum S. Augustino, Gregorio, Bedâ & aliis: ex Græcis verò idem tradit S. Epiphanius, & Theodoretus, licet hic postremus debili nitatur fundamento, quòd scilicet Angelus loco indigeat in quo recipiatur. Hæc verò etiam assertio probatur ex eodem cap. firmiter ubi dicitur *Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, Angelicam & mundanam & deinde humanam.*

II. *Ostenditur non fuisse creatos ante mundum corporeum tempore.*

Illud tamen simul non ita rigorosè accipiendum est, quasi eodem temporis momento omnia condiderit, ut vult S. Augustinus, qui ut supra vidimus, sex illos dies creationis Universi non per tempora distincta, sed per diversam tantum Angelorum cognitionem, *Matutinam scilicet & vespertinam*, tanquam *vessere & mane* distinguebatur. *Simul*

III. *Quo sensu Deus omnia condiderit simul ab initio.*